

quendam putarem: tu tibi urbem non arbitraris? et si  
 me meis civibus iniuria suspectum tam graviter atque  
 offensum viderem, carere me aspectu civium quam in-  
 festis omnium oculis conspici mallet: tu cum conscien-  
 tia scelerum tuorum agnoscas odium omnium iustum  
 et iam diu tibi debitum, dubitas, quorum mentis sen-  
 susque volneras, eorum aspectum praesentiamque vi-  
 tare? si te parentes timerent atque odissent tui neque  
 eos ratione ulla placare posses, ut opinor, ab eorum  
 oculis aliquo concederes. nunc te patria, quae com-  
 munis est parens omnium nostrum, odit ac metuit et  
 iam diu nihil te iudicat nisi de parricidio suo cogitare:  
 huius tu neque auctoritatem verebere nec iudicium se-  
 quere nec vim pertimesces? quae tecum, Catilina, sic 18  
 agit et quodam modo tacita loquitur: 'Nullum iam  
 aliquot annis facinus exstitit nisi per te, nullum fla-  
 gitium sine te. tibi uni multorum civium neces, tibi  
 vexatio direptioque sociorum impunita fuit ac libera.  
 tu non solum ad neglegendas leges et quaestiones, ve-  
 rum etiam ad evincendas perfringendasque valuisti.  
 superiora illa, quamquam ferunda non fuerunt, tamen,  
 ut potui, tuli. nunc vero me totam esse in metu propter  
 unum te, quicquid increpuerit, Catilinam timeri, nul-  
 lum videri contra me consilium iniri posse, quod a tuo  
 scelere abhorreat, non est ferundum. quam ob rem  
 discede atque hunc mihi timorem eripe; si est verus,  
 ne opprimar, sin falsus, ut tandem aliquando timere  
 desinam.'

Haec si tecum ita, ut dixi, patria loquatur, nonne im- 8  
 petrare debeat, etiamsi vim adhibere non possit? Quid, 19  
 quod tu te in custodiam dedisti, quod vitandae suspi-  
 cionis causa ad M'. Lepidum te habitare velle dixisti?  
 a quo non receptus etiam ad me venire ausus es atque,  
 ut domi meae te adservarem, rogasti. cum a me quo-  
 que id responsum tulisses, me nullo modo posse isdem  
 parietibus tuto esse tecum, qui magno in periculo  
 essem, quod isdem moenibus contineremur, ad Q. Me-